

PRIMISLAVS DVX BOHEMIAE.



Primuslaus egregiæ indolis adolescens apud Bohemos ex humili familia natus, suis uirtutibus & integritate uitæ cæteros æquales suos longè superabat, itaq; omnes magnā de eo spem conceperant. Eo tempore Libussa Croci filia rempublicam Bohemorum magna solertia administrabat. Verùm Bohemi muliebre regimen auersati, petierunt ab ea, ut uicinarū more uiro nuberet, atque cum nuptijs principem declararet. Id cum Libussa percepisset: Ite, inquit, equum meum albicantem sternite, atq; in campo patente liberum e frenemq; dimittite. Curret enim equus, donec ante uirum subsistat, qui in ferrea mensa commedat.